

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Geographia universalis

**Ptolemaeus, Claudius
Münster, Sebastian**

Basileae, 1540

Europa prima nova tabula, haec est extribus orbis partibus, [...]

urn:nbn:de:bsz:31-67084

EVROPA

PRIMA NOVA TABVLA. Hęc una est ex tribus orbis partibus, complectiturq; terrā eximie fertilem, habens naturalem temperiē, cœlumq; satis clemens: frumentum, uini & arborū copia nullis posthabenda, sed optimis terris comparanda. Est adeo amœna, pulcherri misque urbibus, castris, uicis & pagis exornata, uirtute deniq; populorum tam præstans, ut longe superet Asiam aut Aphricam, quantūlibet illæ terræ sint maiores. Est tota habitabilis, preterquam in exigua parte, propter frigoris uim inhabitabilis, quæ finitima Tanadis & Mæotidis incolis Borysthenensibusq;, in curribus more uagorum Arabum degentibus. Habitabilis autē regionis id quod est algidum & montanum natura, laboriose habitatur. Sed quod in plano est & naturalem habet temperiem, multum iuuat ea loca quæ asperiora sunt, quandoquidem id quod est in felici regione pacificum omne est, & quod in tristi, pugnax, accipiuntque hęc gentes aliqua inter se beneficia, dum alia opere armis ferunt, alia fructibus & artibus morumq; doctrina. Habet enim Europa multitudinem pugnacem, habet & quę agros colat, quę urbes contineat. Afferunt fructus optimos uitæ necessarios, & metalla quæcumq; usui necessaria sunt. Odores uero ad sacrificia, necnon multi sumptus lapillos extrinsecus petit. Similiter pecudum mitium exhibit copiam, at bestiarum ferarumq; habet raritatem. Ac talis quidem est natura terra Europæ in uniuersum. Particularis autem pars prima est omnium ab occasu Hispania, quæ ab ortu solis absceditur à Gallia Pyrenæis montibus. Galliam separat à Germania Rhenus, & alpes ab Italia. Post Italiam autem, quæ ad ortum reliqua sunt Europæ, bifariam diuiduntur Istro flumine. Fertur enim hic ab occasu in ortum & in Euxinum pontum, a sinistra relinquens Germaniam, Vngariam, Polonię, Moscouiam &c. A dextra uero Illyricum, Dalmatię, Thraciam, Macedoniam, reliquamq; ultimam Græciam. Præiacent quoq; Europæ insulæ, extra columnas Herculis, Gades & Cæsiterides & Britannicæ. Intra columnas uero Gymnesiæ, aliaq; Phœnicum insulæ, aliaq; Massiliensem & Ligurum, &c.


29



E V R O P A PRIMA NOVA TABVLA



AIVBATAVOL



Landesbibliothek
Karlsruhe

